

Q. B. V.

De

Quatuor Virtutibus Cardinalibus

DISPUTATIO PRIMA.

Cujus Theses

Consensu Inclytæ Facultatis Philo-
sophicæ in Academiâ Lipsiensi

d. 5. Mensis Aprilis A. M D C L X V.

Præside

M. JACOBO THOMASIO,

Oratoriæ Professore P. & Minoris Princi-
pum Collegiati,

Respondendo publicè tuebitur

ENGELBERTUS à BURGK
Lipsiensis.

coll. diss. A
S 21, 36

L I P S I Æ,

Typis JOHANNIS WITTIGAU.

a. CXXI. 36.

VIRIS

*Amplissimis, Prudentissimis, Spectatissimis,
atq; Clarissimis*

DN. GEORGIO IULRICO VVELSCHIO:

DN. JOHANNI von der Burgk /
Reip. Lipsiensis Senatoribus
Meritissimis.

DN. HEINRICO VVINCKLERO,
Mercatori Celeberrimo.

*Dominis Patronis, Parenti atq; Affinibus debita
observantia cultu ac atem devenerandis*

Has Studiorum suorum primitias

*Declaranda gratitudinis debitaq; venerationis
ergò, eâ quâ par est, animi submissione*



D. D. D.

Engelbertus à Burgk.



Juvante Triuno !

INTRODUCTIO.

§. I.

Virtus hominis ad corpus alia referri solet, ad animam alia. Posterior hæc iterum duplex, *innata & acquisita*: non-voluntariam Cicero ^a appellat, & voluntariam.

a) V. de finib. p. 133. Alium genus est magnarum, verarumq; virtutum, quas appellamus voluntarias, ut Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, Justitiam, & reliquas ejusdem generis.

§. 2. *Acquisita* virtutis multæ habentur divisiones: sed ab omni ævo nulla celebrior, illustrior, vulgatiores eâ, quæ species ejus, (alii partes ^b vocant,) *quatuor* has numeramus, *Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam* ^c, *Justitiam*, quæ græcè sunt *Φρόνησις, ἀνδρεία, σωφροσύνη δικαιοσύνη.*

b) Cic. II. de Inv. p. 82. Aug. lib. Qq. 83. q. 31. Tomo IV. op. f. 541. Cui & hinc quadripartita virtus, l. de mor. Eccl. 15. Tom. I. f. 756. sicuti Cassiodoro c. 12. (al. 7.) de animâ virtutum quadripartitum decus.

c) His tribus & alia inventa sunt nomina. Reperias enim pro Prudentiâ dici Sapientiam §. 10. 27. pro Fortitudine Magnanimitatem vel Patientiam; pro Temperantiâ Abstemiam, Continentiam, Pudicitiam, Sobrietatem.

§. 3. Hæ sunt illæ, quas hodiè *Cardinales* ^d ferè salutamus in scholis, quanquam & alia sunt cognomina atque tituli ^e: decantatæ passim scriptoribus græcis, latinis; Gentilibus, Christianis; priscis, recentibus.

d) ab ævo usq; Ambrosii, qui primus sic nominavit lib. V. comment. in Luc. Tom. V. op. f. 66. & 67.

e) Quorum alios comparatione

tione minus nobilium, alios præstantiorum respectu adeptæ sunt. Minus nobilium, ut cum vocantur *primæ*, *principes*, *principales*, *generales*, *fontes virtutum*, *fontes officiorum*, græcè *πρώται*, *γενικῆ*, *ἑταίρη* *πασῶν*, *γενικώτατα*, εἶδη τελείας ἀρετῆς. Præstantiorum, ut cum *πρακτικῆ*, *morales*, *civiles* & *Politica*, *Philosophica* appellantur.

§. 4. Sed mirum dictu est, quàm horum varient sententiæ in explicandis divisionis hujus rationibus atq; principiis. Quod apparet evenisse maximè tum servilitate quadam philosophandi, cum à vetustioribus non optimè posita quædam defendere tamen conareretur posteritas; tum libidine conciliandi doctrinas pugnantes; utriusque vitii sensum sopiente in quibusdam ignorantia historiarum literarum.

§. 5. Quare minimè perdere nos operam rati sumus, si rerum quasi hoc in argumento à doctis hominibus gestarum narrationem certâ distinctam serie proderemus, saltem in id profuturo conatu, ut eruditiores exemplo invitentur ad neglectam hanc, ut alias plerasque, *historia philosophicæ* partem, curatiùs atque à nobis otii doctrinæque penuriâ factum est, eliminandam.

§. 6. Series autem hæc erit; Investigabimus, quid de quatuor illis virtutibus senserint in initiò *Persæ*, *Pythagoras*, *Plato*, (primæ Disputationis argumentum;) dein *Aristoteles*, & post eum *Stoici* & *Epicurei*; hos ex ævo sequiore *Platonici* excipient ac *Pythagorei*; inde per *Josephum* & *Philonem* *Hebræos* progrediemur ad nationem *Christianam* in tres tributam ætates: unam implebunt *Ecclesiæ Patres*, alteram *Scholastici*, ultima *Recentiorum* futura est.

CAPUT I.
Philosophia Persarum.

§. 7. **E**quidem est præsens divisio derivata in orbem Latinum à Græcis; verùm & hos, ut alia constat *Barbaris* debere, sic virtutes quatuor ab iisdem accepisse consentaneum est.

§. 8. Non contemnendum hujus rei vestigium existat in narratione Platonis *f*, de quatuor Pædagogis *g*, uno *sapientissimo*, altero *justissimo*, tertio *temperantissimo*, quarto *fortissimo*, quos apud *Persas* ex omni gente selectos Regio primogenito, ad quem successio videlicet regni spectaret, annos quatuordecim nato præficere mos fuerit, ut *primus* illi cultum Deorum, Regisque officium instillaret, *alter* fidem præstare, (*ἀληθεύειν*,) *tertius* voluptatibus dominari, (*μηδ' ὑπὸ μιᾶς ἀρχῆς τῶν ἡδονῶν*,) eum doceret, *quartus* imperterritum (*ἀφοβον*) efficeret.

f) *Alcib. I. s. 411.* *g*) *horum quatuor mentio & apud Clementem Alexand. I. Pædag. 7. qui tamen, quales fuerint singuli, non addit.*

§. 9. Non inelegans est glossa B. Selnecceri *h*, qui sapientissimo *Theologi*, justissimo *Jurisconsulti*, temperantissimo *Medici*, fortissimo *Militis* personam imponit. Possit etiam, si quis quatuor Facultatum in Academiis mysterium complere hîc velit, fortissimum de *Philosopho* interpretari. Sed neque nos pœnitet conjecturæ de *quatuor virtutibus Cardinalibus*. Perquàm enim simile vero est, id egisse *Persas*, ut cujuslibet virtutis peculiarem haberet *Magistrum Regius successor i*.

h) *Part. I. homil. in Epiphani. p. 445.* *i*) *conf. Sepulv. lib. II. de regno & regis off. p. 108.*

§. 10. Nec obstat, quòd in primo Pædagogo Prudentiæ loco commendatur *Sapientia*. Fateor inter has dú-

as multum interesse. Verum & hoc Icio, Prudentiæ Sa-
 pientiæque vocabula hîc à multis permutari, à Platone ^k in-
 primis, quem aliis postea errandi autorem fuisse dixerim.
 Ac nescio an non hæc Pædagogicorum officiorum, quam
 in manibus habemus, dispensatio, quod ad primam secun-
 damque virtutem attinet, à Platone sit magis, quam à Per-
 sis. Sed hujus suspicionis causæ nobis Disputatione de-
 mum secundâ ^l maturescunt.

k) §. 27. l) ubi prius Sapienciam à Prudentiâ, & τὸ ἔ λογικῆ
 θεωρητικὸν à πρακτικῶ ex Aristotelis disciplinâ distingvere didice-
 rimus.

§. 11. Nunc satis fuerit, monuisse, vel ipsius Platonis
 testimonio Sapiencissimum illum puero regio præcepto-
 rem se præbuisse non sapientiæ modò, sed & prudentiæ, ut
 non malè Briffonius ^m τὸν σοφώτατον verterit prudentiâ in-
 signem. De quo græca verba sunt hæc: ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε δι-
 δάσκει τὴν ζωροάσρα, ἔ διερμύξρα, Ἰσὶ ἢ τῆτο θεῶν θεροπέρα· habes
 sapientiâ ⁿ: διδάσκει ἢ καὶ τὰ βασιλικὰ. habes Prudentiâ ^o.

m) I. de Regn. Pers. p. 79. n) hæc enim circa res divinas. Suidas:
 Μάγοι ὡροὰ πέροσαις Φιλόσοφοι καὶ Φιλόθεοι. Cic. I. de div. p. 90.
 Magi genus sapientum & doctorum habebatur in Persis. Apulej.
 in apol. p. 290. ed. Elmenb. Persarum lingvâ Magus est, qui nostrâ
 sacerdos. Qui mox ipsum Platonis locum ubi attulisset, Magiam
 inter alia interpretatur artem diviniscientem. Vid. & Briffon. II.
 de Regn. Pers. p. 179. o) hæc enim circa res humanas, quæ regis
 imperiis subsunt.

§. 12. Unum addo, quod observatum proderit post-
 eâ: virtutes, quæ sic in regios Persarum Pædagogos dis-
 tribuebantur, speciales fuisse omnes, nullam generalem, h. e.
 singulas à singulis suo quodam officio discretas, nullam
 inter omnes, quæ reliquarum rationes generali complexu
 exæquaret.

CA.

CAPUT II.
Philosophia Pythagora.

§. 13. **A** Barbaris procedamus ad *Gracos*. Apud quos *Jonica* familiae principem Thaletem, *Italica* Pythagoram fuisse constat. Quanquam autem junior aliquantum Thalete fuit *Pythagoras* p: ab hoc tamen incipiendum est nobis, quòd in *Jonica* secta, qui de quatuor virtutibus docuerit, neminem sciamus antiquiorem Platone: cujus Magister Socrates, cum cæteri ante ipsũ toti fuissent in speculativis scientiis, unde & *Physicorum* cognomen adepti sunt, primus ad activam philosophiam conversus est.

p) *vid. Perer. lib. IV. Phys. p. m. 202. Voss. de sect. Philos. c. 6. p. 28.*

§. 14. Sanè Aristoteles q, ubi commemorare vult, qui de virtutibus ante se differuerint, primo loco *Pythagoram* nominat, secundo *Socratem*, tertio *Platonem*. Verùm de Socrate quæ speciatim habemus comperta, divisionem virtutum non tangunt. Id tantum in eo carpit Philosophus, quòd virtutes sine discrimine omnes dixerit esse scientias r seu, ut aliàs loquitur, prudentias s, & rationes t.

q) *I. Magn. mor. 1.* r) *ibid. & I. Eud. 5.* s) *VI. Nic. 13.* t) *ibid. & I. Magn. mor. 35.*

§. 15. Similis adversus Pythagoram reprehensio est. Quem negat u rectum tramitem instituisse, dum virtutes ad *numeros* retulit. Est enim & hoc, perinde ut illud, quod apud Laertium x legitur, (*Pythagoræ* virtutem esse *harmoniam*,) sic generaliter dictum, ut ad definiendam potius, quàm dividendam virtutem pertineat.

u) *d. I. I. Magn. mor. 1.* x) *in vitá Pythag. p. 346.*

§. 16. Sed quoniam illud insuper ex Aristotele cognoscere datur, quòd *Justitiam* Pythagoras vocaverit *numerum pariter parem*: alias eum quoque species *Justitiæ* appo-

apposuisse, singulasque peculiari numero comparasse vix dubium est.

§. 17. *Quatuor* autem humanas virtutes eum posuisse vel inde conjicias, quia quaternarium Pythagorici, quem *τετρακτὸν* vocant, quasi ad perfectionem animæ pertinentem, inter arcana venerantur *γ*. Enimvero qui philosophari solebant per numeros, ut divinis rebus ternarium, sic humanis & corporeis quaternarium *z*, qui & in elementis est *a*, addicebant.

y) teste *Macrob. I. in somn. Scip. 6. p. 36.*
novo Comm. in Cabalist. dogm. f. m. 767.
§. 22. lit. n.

z) *Archang. de Burgo*
a) *conf. quæ dicemus*

§. 18. Quid moramur? Teste *Calcagnino* *b* monada *Prudentiæ*, dyada *Fortitudini*, triada *Temperantiæ*, tetra-ctyn *Justitiæ* tribuit Pythagoras. Consensit ergo ejus schola in easdem & numero & nominibus virtutes, quas Platonici postea Stoicique extulerunt.

b) *lib. V. Epist. 8. p. 158.*

§. 19. Observatus hic consensus ante nos quoque est peritissimo harum literarum *Patricio* *c*, & illustri *Salmasio* *d*; verum haud satis fido auctore nixis *Theage*, cujus & aliorum *Pythagoreorum fragmenta* ad nostram ætatem transmisit *Stobæus* *e*. *Theagem* *f* apertè citat *Patricius*. Nec aliò respexisse *Salmasium* inde manifestum est, quia *Pythagoreos* *Platonicis* hinc sociat etiam in fundamento dividendi ex tribus animæ partibus, quibus, planè ut est apud *Theagem*, cæteræ virtutes viritim assignatæ sint, universis præsideat *Justitia*, tanquam virtus omnium communis.

c) *Tom. II. Discuss. Perip. lib. VII. f. 270. 271.* d) *ad Epictet. p. 161. 162.*
e) *in Eclogis Ethicis. Collegit ea fragmenta de Stobæo Gul. Canterus. Eadem Nicomacheis Aristotelis addidit Theod. Zvingerus Basil. 1566. & Laertio editio 70. Vignonis Colon Allobr. A. 1616.*

A. 1616. f) Verba Theagis hæc sunt ex Stob. s. 10. τῷ μὲν λογιστικῷ μέρει τὰς ψυχᾶς ἀρετὰ ἀφρόνας, — τῷ δὲ θυμοειδέϊ ἀνδρεία, — τῷ δ' ἐπιθυματικῷ ἀσωφροσύνη, — ὅλας δὲ τὰς ψυχᾶς ἀδικαιοσύνη.

§. 20. Fuit, cùm & nos illa fragmenta, quæ à nemine videremus in dubium vocari, pro γνησίοις haberemus. Nunc aliter sentimus, moti cum primis iudicio Viri non aliter nobis nisi summâ cum laude nominandi Herm. Conringii^b, cui seculo Christiano secundo & tertio conficta hæc videntur ab iis, qui Pythagoricæ veteris Philosophiæ restauratores voluerint videri.

g) *Disp. II. de virt. Heroic. §. 1.* h) *cap. 15. Propolit. p. 104.*

§. 21. Enimverò quod de συστάσει quatuor virtutum in iis fragmentis continetur, Platonem sapit magis quàm Pythagoram: ac ne Platonem quidem planè, sed Platonicos, quos à Præceptore paulisper hîc deflexisse monstrabitur infraⁱ. Quare nec fraudi mihi fore confido, si Pythagoreos illos, quicumq; sint, avulsos hîc à Pythagorâ Platonici istis sodales addidero.

i) §. 39. & seqq.

§. 22. Inter Pythagoram & Platonem hoc discriminis conjecturâ ductus non futili statuo, quòd Plato in divisione nostrâ *generales virtutes specialibus mixtas*^k, Pythagoras contrâ *speciales meras*, perinde ut Persarum philosophi^l, propositas voluit. Fidem facio ex alia Pythagoræ partitione apud Plutarchum^m, quæ nostræ huic cùm sit aliqui gemina germana, fit ipsa quoq; in species meras. Componebat ille animam ex quatuor sive viribus, ut cum Theodoretⁿ loquamur, sive cognoscendi gradibus, quos à Platone quoq;^o, & Stoico Zenone^p tantùm non ipsissimos repeti novimus: mente, scientiâ, opinione, sensu. *Menti*
B unita

unitatem dabat, scientiæ binarium, ternarium opinioni, sensui quaternarium 9.

k) §. 39. l) §. 12. m) lib. I. τῶν ἀρεσῶν. c. 3. f. m. 209. n) de curat. græc. aff. lib. V. qui est de nat. hom. Tom II. op. f. m. 589. ed. lat. Colon. A. 1567. ubi memorat, Pythagora successores, qui videlicet quarto elemento quintum adjunxerint, (ipsi enim Pythagora non ultrà quatuor elementa tribuit Laertius p. m. 415. conf. §. 17. a.) quinque vires animæ numerasse. Addiderunt autem Prudentiam proximoq; à scientiâ loco nominaverunt. o) VI. de Rep. in fin. & VII. f. 705. Gradus illi sunt 1. νόσις, vel ἴσῃσις, scientia: 2. διάνοια, cogitatio: 3. πίσσις, fides: 4. εἰκασίαι, assimilatio vel imaginatio. p) apud Cic. IV. Acad. p. 36. ubi hæc graduum nomina: scientia, comprehensio, assensus, visum. q) postremum hoc non legitur apud Plutarchum. Sed lacunam ibi statuunt editores. Quam ita, ut hic fecimus, utrunq; explere & præcedentia iubent, & tentaverunt, qui Plutarchum hoc in argumento citant, Conr. Gesner. de animâ p. 729. & Perer. IV. Phys. 7. p. 226.

CAPUT III.

Philosophia Platonis.

§. 23. **I**N Platone, ad quem ordo nos vocat, tantò certiora se nobis dabunt omnia, quantò felicior ævi nostri fors est in usurpandis ejus viri scriptis, quæ Pythagoræ prorsus habemus nulla. Sed negotium hîc nobis tûm veteres Platonici faceffunt, tûm semi-Platonici quidam recentiores. Quorum illi definitionem Temperantiæ, hi numerum virtutum, quasi de Platonis mente, aliter enunciant nobis, quàm libri ejus commodè permittant. Verùm consultum hîc est, nemini magis de Platone, quàm ipsi Platoni, credere.

§. 24. Incipiendum à numero. Piccolomineus ad Protagoram Platonis provocans, quinque virtutes eum asseruisse dicit, Sapientiam, Temperantiam, Fortitudinem, Justitiam

Justitiam

stitem & Sanctitatem, quæsiq; numerum sic evicisset, de sensu divisionis postea hariolaturⁿ. Sanè, quæritur in eo Dialogo: utrum, quæ diximus, quinque nomina sint unius ejusdemq; rei; an cuilibet illorum propria subsit essentia? Sed nimirum id agit ibi sub Socratis personâ Plato, ut, quotcunq; virtutes aliquis numeret, unicam esse omnes persvadeat, non ut unam illam secet in partes. Ergò locus ille non est ad præsentem disputationem idoneus.

r) ubi videf. 226. 229. 230. & imprimis 242. Addo, in Lachete quoq; dum Fortitudinis natura exquiritur, f. 494. juxta cum Temperantiâ & Justitiâ Sanctitatem (hæc est quæ Catalogum nostrum onerat) nominari. Quam & in Euthyphrone eximiis laudibus elatam à Platone, & variis descriptionibus circumscriptam jactat Piccolomineus Grad. IV. c. 33. p. 338. s) ibidem postea. t) loco dicto, & c. 25. p. 314. u) c. 34. p. 339. 340. Summa hæc est: voluisse Platonem complecti virtutes & morales, & intellectuales, & heroicas: moralibus ergò (Temperantiæ, Fortitudini, Justitiæ,) adjunxisse Sapientiam, ad quam intellectuales, & Sanctitatem, ad quam heroicas redegerit: Sanctitatem quippe justitiam esse heroicam. Sed ne hæc quidem ad Platonis mentem. Quem concedo in Euthyph. f. 9. Sanctitatem fecisse partem Justitiæ, eam scil. quæ sit τῆς τῶν θεῶν δεξιότητος, heroicas virtutes ibi sub eâ intelligi voluisse nego.

§. 25. Ampliorem adhuc virtutum Catalogum de sententiâ Platonis conficit Javellus^x, quem scimus Marsilii Ficini y vitulâ hîc arasse. Menti videlicet ab eo Sapientiam assignari statuit, Rationi Scientiam & Prudentiam, Phantasiæ Sagacitatem sive Opinionem rectam, Voluntati Justitiam & Liberalitatem, Irascibili potentiæ Fortitudinem, Concupiscibili Temperantiam atque Continentiam. Novem hæc sunt virtutes, nisi alicubi duo forte nomina pro unâ velis computare. Sed quod de parte z divisionis hujus Piccolomineus⁴, id nos de totâ, quod ad numerum attinet, rectè

usurpabimus: nullâ cam niti Platonis auctoritate b, vel recta
ratione c.

x) *Tract. V. in Ethic. Plat. cap. 4. part. I. Tom. II. oper. f. 299.* y) ar-
gumento in *Menon. Plat. f. 407.* z) quâ *Justitia & Liberalitas*
voluntati præficiuntur. a) *Grad. IV. c. 15. p. 298.* ubi tamen
non ad stipulor Piccolomineo, quatenus negat, secundum rei verita-
tem subjectum *Justitia* (vel aliarum virtutum moralium, sic enim
disputat c. 7. & seqq.) esse voluntatem. b) *Nec enim ullus ex Pla-*
tone locus profertur. Imò posset, si foret opus, ostendi, divisionem hanc
à Platonis Philosophiâ multis modis deviare. c) *Si enim species*
virtutum intermediae quaruntur, pauciores numerari debent; si in-
fimæ, plures.

§. 26. Satis apparet, excogitatam fuisse à Marsilio, ut
à Menone Platonis nescio quas contradictiones objectio-
nesque averteret d. Si eam contradictionem in animo ha-
buit, quæ tangitur à Gassendo e, videri in *Menone* f & *Læ-*
chete g plures enumerari virtutes, quàm in de *Rep. libris*:
expedita nobis responsio est, neutrius Dialogi scopum esse,
ut dividatur virtus. Nam *Laches* de solâ Fortitudine dis-
putat. *Menonis* verò summam esse, quid virtus sit, & quo-
modo nobis adsit, inquirere, ipse Marsilius clarè profitetur h.

d) *Sic enim ait sub finem argumenti:* Hâc summulâ quis mentem
Platonis in *Menone* colliget, & hujusmodi præmissâ distinctione
contradictiones renuet, objectionesque vitabit. e) *lib. II. Eth.*
e. 1. Tom. II. op. f. 742. f) *f. m. 420.* g) *f. m. 493.* h) *sub*
initium argumenti.

§. 27. Veram Platonis de virtutum & numero & defi-
nitione sententiam non aliunde liquidius cognoscere possu-
mus, quàm è *quarto de Republica* i. Quærit ibi virtutes ci-
vitati, si absolutè bona esse debeat, similiterque homini
cuivis, (vult enim k parem esse utrobique rationem) ne-
cessarias, easque vel ipso fatente Marsilio l quatuor agno-
scit;

scit: *Sapientiam*, pro quâ in primo de legib⁹ m rectiùsⁿ *Prudentiam* nominat, *Fortitudinem*, *Temperantiam*, atq; *Justitiam*.

ⁱ) f. 636. & seqq. usq; ad finem libri. k) f. 645. D. l) in argumento illius libri f. 630. m) f. 773. Est & hic locus satis idoneus ad inveniendam Platonis de numero virtutum sententiam. Habet enim manifestam enumerationem Bonorum. Quorum quatuor humana esse dicit, sanitatem, pulchritudinem, robur, divitias; totidem divina, nec alia, quàm virtutes nostras. Οὐδὲ πρῶτον αὐτῶν θεῶν, inquit, ἡγεμονῶν ἐσὶν ἀγαθὸν ἢ φρόνησις· δεύτερον ἡμῶν νῦν σωφροσύνης ἕξις· ἕκ τῶν μετ' ἀνδρείας καὶ δειλῶν τρίτον αὖ ἐστὶ δικαιοσύνη τέταρτον ἢ ἀνδρεία. Locum hunc præ animo habuit Apulejus, cum scriberet lib. II. de habit. doct. Plat. p. 12. 13. ed. Elmenh. Prima bona (Plato sensit) esse Deum summum, Mentemq; illam, quam Nῦν idem vocat: secundum ea, quæ ex priorum fonte profluerent, esse animi vitutes, Prudentiam, Justitiam, Pudicitiam, Fortitudinem. Sed his omnibus præstare Prudentiam: Secundam numero ac potestate Continentiam posuit: has Justitiam sequi: Fortitudinem quartam esse. Conferendus & Laertius in Platone p. 165. ed. græc. Basil. 1533. n) Nam in ipso IV. de Rep. virtutem hanc primam, (quæ ipsi toto libro passim est Σοφία, vix semel φρόνησις f. 640. B.) interpretatur tantum de ἐβελία, quæ custodes Reip. toti Reip. prospiciant, quod reverâ Prudentiæ munus est.

§. 28. Non plures nec alias commemorat nobis libro sexto^o, dum ad hæc ipsa, quæ quarto prolixè disputavisset, respiciens ait: μνημονεύεις μὲν πρῶτον, ὅτι τριτὰ εἶδη ψυχῆς διασησάμενοι συνεβιβάζομεν δικαιοσύνης τε πέρι καὶ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας, καὶ σοφίας, ἃ ἕκαστον ἐστὶ.

o) f. 684.

§. 29. Quatuor ergo virtutes nostras agnovit Plato. Attestantur hoc, ut de Laertio^p taceam, Platonici communiter q. Quos contemplatione quarti maximè de Rep. motos, vel illud argumento est, quod allatam ibi divisionem

B 3

animæ

animæ in tres partes allegant pro fundamento dividenda-
rum quoque virtutum. Quin imò commentariolum Pro-
cli habemus, hâc inscriptione: περὶ τῶν ἐν τῷ τεταρτῷ τῆς πολι-
τείας ἀποδείξεων, ἔτρία εἶναι μέρη τῆς ἀνθρώπινης ψυχῆς, καὶ τέττα-
ρας τὰς ἐν αὐτῇ ἀρετὰς. Quod breviorē etiam per singulas
paginas indicem habet hunc: Περὶ κλῆ εἰς τὴν πολιτείαν.

p) de quo plura §. seq. aliquid & §. 27. lit. m. in fin. q) citandi §. 38.
Ex his Apuleji aliquem locum jam protulimus §. 27. lit. m. r)
appressum ad Ethica, Politica & Oeconomica Aristotelis & Xeno-
phontis, græcè Basil. ap. Joan. Valder in 8vo. p. 473. & seqq. usq. ad
497. Citat hunc Procli commentarium & Erasmus adag. 1701.

§. 30. Sed iidem Platonici turbant nonnihil circa de-
finitionem *Temperantia*. Quam cùm quartus de Rep. non a-
lio nobis schemate, quàm generalis virtutis exhibeat, ipsi
tamen quasi de sententiâ Præceptoris *specialem* repræsen-
tant. Qui omninò merentur, ut ad examen ipsos vocem⁹.
Nam Laertius, qui in definiendis juxtâ Platonem qua-
tuor virtutibus ita versatur, ut quartum de Rep. nunquam
inspexisse videri queat, planè hîc omittendus est.

s) in Platone, p. m. 170. t) Nam in IV. de Rep. & alligantur vir-
tutes partibus animæ, & *Justitia* certè, ut de *Temperantiâ* taceam,
tanquam virtus generalis definitur. Laertius contrâ omnes ut
speciales definit, partes animæ, de quibus tamen immediatè præmi-
serat, alto silentio sepelit. Verba ejus appono: τῆς τελείας ἀρετῆς
εἶδη τέτταρα. ἐν μὲν Φρόνησις, ἄλλο δικαιοσύνη, τρίτον ἀνδρεία, τέταρ-
τον σωφροσύνη. τῶν ἢ μὲν Φρόνησις αἰτία ἔπράττειν ὀρθῶς τὰ
πράγματα. ἢ ἡ δικαιοσύνη ἔστι ἐν ταῖς κοινωνίαις καὶ τοῖς συναλλάγμα-
σι δικαιοπραγεῖν. ἢ ἡ ἀνδρεία ἔστι ἐν τοῖς κινδύνοις καὶ φοβεροῖς μὴ ἐξί-
στασθαι ποιεῖν, ἀλλὰ μὲν ἢ ἡ σωφροσύνη ἔκρατεῖν τῶν ὀπιθυμιῶν, καὶ
ἀπὸ μηδεμιᾶς ἡδονῆς ἀδελῆσθαι, ἀλλὰ κοσμίως ζῆν. Putes hæc postre-
ma scribenti præ oculis fuisse Alcibiadem premium, è quo Persarum
Philosophiam §. 8. adstruebamus, ubi sic Plato: ὁ ἢ σωφρονέσεται
(διδάσκει) μὴδ' ὑπὸ μιᾶς ἀρχῆς τῶν ἡδονῶν, ἵνα ἐλεύθερος εἶναι ἐπίζη-
ται

ται καὶ ὄντως βασιλεὺς ἄρχων πρῶτα ἢ ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ μὴ δαλέων.
 Sed magis est, ut credamus, totius Platonis incuriam in his fuisse La-
 ertium. u) Laertio equidem ex defectu aliorum vix possumus in
 philosophicâ historiâ carere. Sed in eo jam diu est, quod doctissimi
 viri majorem & industriam desiderant, & fidem. Neglegens est Li-
 pσιο lib. I. manud. ad Stoic. phil. diff. 8 p. 24. maximè negligens scriptor
 Majoragio lib. I. contr. N 201. c. 13. p. 89. Muretus in VI. Nicom. c. 13.
 p. 499. ubi in mentem Aristotelis de ἀντακολληθῆναι virtutum inquiri,
 Laertium, inquit, apertè constat mentiri, neque hoc ei novum est,
 aut inusitatum.

§. 31. Ut omnis causa meliùs & intelligi possit, & judi-
 cari, paulò altiùs repetenda sunt quædam. Indubium est,
 Platonem tres posuisse anima humana sive species, sive par-
 tes^x, locis etiam, ut cum Cicerone^y loquamur, disclusas
 ita, ut τὸ λογιστικόν, seu rationale sit in capite: τὸ θυμοειδές, ira-
 scitivum^z (quod, si consuetudo permitteret, cum Macro-
 bio^a vocare mallems^b animositatem,) in pectore:
 τὸ ἡδυμενικόν, concupiscitivum, in abdomine^c; quod ulti-
 mum quidem à ratione longissimè distet, eiq̄ue minimè
 se præstat obsequiosum^d.

x) *Querunt eruditi*: An Plato tres homini animas, ipsis substantiis
 diversas dederit: an unam tantùm tribus viribus instructam? *Prims*
placet Galeno lib. VI. de decr. Hippoc. & Plat. c. 2. class. I. op. f. 523.
(ubi & docet, Aristotelem, qui facultates appellare malit, à Plato-
ne dissidere,) & Joan. Bapt. Crispo de Eihn. cautè leg. f. 299. *Pos-*
terioris Ficino, argum. in II. Plat. de Rep. f. 630. & epistolâ peculiari
ad Alamannum Donatum lib. II. Epist. p. m. 76. Carpentario in c. 17.
Alcinoi p. 455. (quem Crispus nominatim cum Ficino perstringit f.
306.) & novissimè Salmasio Galenum sibi adversarium statuenti p.
154. & seqq. in Epict. Atq̄, hic p. 162. argumentum quoq̄, inter alia du-
cit à virtutibus nostris. Quis non videt, inquit, si aliæ sunt vir-
tutes animæ totius, aliæ singularum ejus partium, totam illam a-
nimam esse unicam substantiam, in varias divisam potestates? Sed
meo quidem iudicio valdè hoc est infirmum, quanquam Salmasio sic
placuit.

placuisse video, ut p. 249 denuò inculcet. Eà dem enim ratione confeceris, civitatem quoq; Platoni unicam esse substantiam, in diversos civium ordines, veluti potestates suas tributam: cum in eam quatuor virtutes non alia lege, atq; in animam hominis describat. y) I. Tusc. p. 152. z) ita reddit Hieron. in cap. 1. Ezech. Tom. V. Op. f. 177: (quem & in vertendo ἐπιθυμητικὸν secuti hinc sumus:) speciem affectionis imperibilem Ambrosius lib. III. de Virginib. Tom. I. Op. f. 101. Apulejus lib. 1. de hab. doct. Plat. p. 9. & 11. ed. Elmenh. modò irascentiam, modò Excandescentiam vel Irritabilitatem; Facultatem irascibilem Scholastici passim, ut τὸ ἐπιθυμητικὸν concupiscibilem. a) I. in somn. Scip. 6. p. m. 36. & c. 12. p. 62. b) Ira enim propriè ὀργή: à quâ longè diversum quid est θυμός, hoc quidem loco, & vi primæ originis. Si enim cum Salmasio ad Epict. p. 124. 125. scrinia linguarum excutias, synonyma sunt ψυχή, θυμός, πνεῦμα, Animus, anima, spiritus. Scio θυμόν & ὀργήν sæpè idem valere: nec aliunde est, quòd τὸ θυμοειδὲς verterent irascitivum aut similiter. Sed hoc in argumento differunt ut latius & angustius. θυμός enim, ex mente quidem Platonis, cupiditatem notat, non ulciscendi tantum, quæ est ὀργή, sed honoris etiam atq; alias. c) conjungendi pro hac sententiâ loci Platonis IV. de Rep. f. 641. & seqq. IX. f. 734. Timæ. f. 1073. Atq; hos ipsos dialogos Galenus, ejus locum modò l. x. signabamus, hæc in causâ nominatim citat. d) vid. IX. de Rep. f. 738. D. & adde quæ dicemus §. 39. lit. u.

§. 32. Si quis paulò penitiùs Philosophiam Platonis rimetur, animadvertet, hunc in modum de partibus animæ differendi causam ipsi ultimam fuisse, quòd putaret, plantas quoq; sensûs esse & cupiditatum, (αἰσθητικῶς καὶ ἐπιθυμητικῶν,) atque sic & τείτε ψυχῆς εἶδος participes, & uno verbo rem ut eloquar, animalia e. Hoc enim posito, sequebatur, non modò, triplex esse animal, (mortale f. saltem,) plantam, brutum, hominem: sed, migrante in animam hominis hæc distinctione, ut, qui cæterorum animantium perfectiones unus complectitur, partem animæ, quâ plantas refe-

referimus, rectè & vocari τὸ Ἰπιθυμητικόν, & in infimo ventre
statui, neque non à ratione quàm maximè dissidere.

e) Clara sunt hæc à Timæo f. 1078. Cæterùm hanc Platonis opinionem
observant passim alii: Proclus εἰς τὴν πολιτ. p. 494. Galenus ubi
nuper lit. x. Theodoretus ubi suprâ §. 22. lit. n. Camerar. ad Nicomach.
p. 51. Muret. ibid. p. 98. Theop. IX. Acad. contempl. 2. p. 324. Piccol. de
rer. def. p. 178. Husart. scrutin. ingen. p. 678. qui non magnoperè ab-
sentit.

f) Dantur enim in Platonis Philosophiâ quoq; animalia
immortalia, Dii seu demones. Unde Hominis definitio: animal
rationale mortale; Dæmonis: animal rationale immortale. Lege
Timæum ejus f. 1053. Aputej. de deo Socr. p. 49. ed. Elmenh. Augustin.
VIII. de C. D. 16. & I. contrâ Acad. 7. & II. de ord. 9. 11. 19. & III. de
Genes. ad lit. 9. Boeth. III. in Top. C. c. f. 801. Piccol. de rer. def. p. 162.
Ac videntur distinctionem animalis in mortale & immortale Chri-
stiani etiam aliqui non improbasse, qui Platonis essent studiosi, ut
Augustinus & Boethius dictis locis, & quicunq; Angelis etiam cor-
pora tribuebant, quorum catalogum vide apud Elmenh. ad c. 12. Gen-
nad. de dogm. Hinc illa definitio Angeli: ζῶον λογικόν, ἀϋλον,
ὑμολογικόν, ἀθάνατον, apud scriptorem libri operibus Athanasia-
nis vulgò immixti, de communi essentia Patris & Filii & Sp. S. ci-
tante P. Halloix lib. IV. Orig. def. q. 5. f. 304. Quæ totidem verbis,
nisi quòd ἀϋλον rectiùs abest, legitur apud Pseudo-Athanasium q.
30. ad Antiochum. Ut hinc appareat, ex eadem officinâ utrumq;
opusculum produisse. Capisio Quæstionum ad Antioch. interpres,
supposititias eas esse, minimè suspicatus, pro ζῶον legit ζῶν, verti q;
suppositum vivens & hoc in annotat. defensat. Verùm ea, quæ di-
ximus, lectioni pristinae facilè fidem asserent.

§. 33. Si Peripateticorum stilo eloqui hæc jubeamur,
non poterimus aliter, quàm τὸ θυμοειδές facultatem animæ
appellare sensitivam, τὸ ἐπιθυμητικόν, vegetativam: nam circa
τὸ λογικόν non habent hæc duæ scholæ divisas linguas. Manet
interim dissidium in eo, quòd Peripatetici sensum plantis,
& elicitem inde appetitum concupiscentem denegant, eoque
pacto neglectum à Platone & discrimen inter ζῶον & ζῶν,
(animatum & animal,) diligentius custodiunt.

g) Ut ex plantis animalia faciat Plato, rationem petit à vocabulo quo.

C

que

με: πᾶν γὰρ ὅτι ὡς ἀν μεταχθῆ ζῆν, ζῶν μὲν δ: ἐν δίκη λέγουσθε ἐρ-
 ζότατα. Imò verò inquam, non ζῶν, sed ζῶν. Quae duo non
 frustra distinguunt Grammatici. Omitto quàm sapè nullum sit ro-
 bur argumentorum ab etymologia.

§. 34. Verùm hæc sequenti Disputationi reservanda
 sunt. Nunc pergendum in Platone. De quo duo velim
 probè infigi animo: primò, translata sic ab animalibus in
 animam nostram divisione, partes ejus plures, quàm ternas
 inveniri ab eo non potuisse; deinde, nec pauciores illi val-
 dè placuisse. Quanquam enim partem unam rationis com-
 potem, alteram expertem faciens^b, vel immortalem unam,
 mortalem alteramⁱ, totum hoc in *duo membra* colligit: ta-
 men, in libris certè de Rep. divisio *trimembris* utramque
 paginam facit, ad quam etiam ultrò ab illâ bimembri se re-
 vocat.

h) græcè τὸ λογιστικὸν, & τὸ ἀλόγιστον, IV. de Rep. f. 644. 645. ubi non
 satis reperit, utri parti accenseat τὸ θυμοειδές. i) in Timæo f.
 1073. ubi θυμὸν pariter & ἐπιθυμίαν manifestè vocat τὸ τῆς ψυχῆς
 διητὸν γένος.

§. 35. Itaq; non dubitabimus cum Galeno^k pronun-
 ciare, imaginem eam, quâ concupiscibilis pars ut bellua
 multiceps, irascibilis ut leo, rationalis ut homo, atque sic
 tota anima ut *monstrum triforme* repræsentatur in nono de
 Republica^l, aptiorem esse, (ad sensûs utique Platonis ex-
 primendos) quàm alteram in Phædro^m, ubi ratio similis est
 aurigæ, reliquæ duæ partes equis duobus. Etenim prius
 illud simulacrum alludit manifestiùs ad divisionem *tri-
 membrum*.

k) ubi f. præ S. 31. lit. x. l) f. 739. Antequam proponit hanc imagi-
 nem Plato, jubet animo complecti tale quid, quale sit in fabulis Poe-
 tarum Chimæra, Scylla, vel Cerberus: non quòd horum quicquam
 assumpturus ipse esset, sed quòd meditaretur novo effingendo *monstro*
 certa-

certare quasi cum Poetis. Apparet hinc, memoriâ lapsam virum
 alias verè πολυίσωρα Philippum Melanchthonem, cum p. 5: de Ani-
 mâ scriberet, naturam hominis à Platone comparari Scyllæ, cuius
 pars suprema similis sit virgini, pectus leoni, ima pars latrantium
 canum. Eadem habet, vix dubitem quin è Philippo, Petrus Pla-
 teanus lib. II. Eth. Christ. c. 2. p. 30. Atqui Scyllam nec Plato figu-
 ram hominis facit, nec Poeta, qualem Philippus, pingunt, quibus
 alioqui triforem eam esse non nego. m) f. 1221.

§. 36. Quæ porro adeò ipsi blandita est, ut eam ad
 civium quoque ordines in Rep. & genera vitæ pariter ac
 voluptatum accommodaretⁿ: Civium quidem constitu-
 ens hæc tria γένη, τὸ βουλευτικόν, in quo Senatores, τὸ Ἰπικερμικόν,
 in quo milites, τὸ χειματικόν, in quo opifices, & quorum-
 cunque laboribus nutritur civitas^o; vitæ autem & volupta-
 tum ista, φιλόσοφον, φιλόνεικον, φιλοκερδές^p. Versâ vice ex
 his animæ partes novis cognominibus insignivit^q, rationem
 appellans τὸ φιλόσοφον καὶ φιλομαθές: irascentiam τὸ φιλόνει-
 κον καὶ φιλότιμον: cupiditatem τὸ φιλοχρηματικόν καὶ φιλοκερδές.

n) IV. de Rep. f. 645. & IX. f. 734. Plura suppeditabit Strigel. ad Philipp.
 de anim. p. 19. o) Non malè forsan tribus Statibus sic applices,
 ut Ecclesiastico des τὸ λογικόν, Politico τὸ θυμοειδές (juxta illud:
 Tu protege, Oeconomico denique τὸ ἐπιθυμητικόν, vel poti-
 ùs, (ut aptiorem appellationem commodes nobis Peripatw,) τὸ ὄρε-
 πτικόν. Quòd si Aristotelis divisionem animæ partium, de quâ suo lo-
 co, applicare hic malis, Status Ecclesiasticus τὸ θεωρητικόν, Politicus
 τὸ ὄρετικόν, Oeconomicus ἢ ὄρεπτικόν sibi non immeritò postula-
 bunt. p) Cum hæc divisione non confundenda altera Platonis,
 minus illa concinna, nec è tribus animæ partibus, uti præsens librè
 IX. de Rep. derivata. Legitur ea in Philebo. Ubi quidem similiter tres
 vitarum ordines (τρῆς βίοι, f. 377. B.) memorantur, sed his nomini-
 bus: unus ὁ τῆς ἡδονῆς, alter ὁ τῆς φρονησεως, (f. 376. C.) tertius μι-
 κτὸς ἡδονῆς τε καὶ φρονησεως, (f. 380. E.) vel ζυναμφοτέρως, ἐξ ἀμ-
 φοῖν συμμιχθεῖς, κοινός, (f. 377. B.) Nam quod Gifanius ad l. Ni-

com. 5. p. 33. & ejus aliorumq; descriptor Balfourens ibid. p. 37. ajunt
 Platonem in Philebo hæc tria vitæ genera esse ἀπολαυστικὸν. θεωρητι-
 κὸν, & μικλὸν: sciendum in prioribus duobus designandis, non Pla-
 tonis ore, sed Aristotelis locutos. Qui tamen cum dicto Nicoma-
 cheorum loco τρεῖς βίαις commemorat, θεωρητικὸν, πολιτικὸν, ἀπο-
 λαυστικὸν, qui aliis nominibus sunt, φιλόσοφος, πρακτικὸς, & ἡδο-
 νικός, (vid. I. Eudem. 4. & 5. VII. Poli. 2. Plutarch. περὶ παιδ.
 ἀγωγ. f. 4. & Hesych. περὶ σοφῶν p. 11. voce Ἀριστοτέλης) non tam
 Platonem sive vitas, sive partes animæ dividendum sequi censendus
 est, quàm ad illam partitionem suam respicere, quâ μόρια τῆς ψυ-
 χῆς facit τὸ θεωρητικὸν, τὸ πρακτικὸν, & τὸ ἡδονικὸν, de quâ, ubi ad
 ejus Philosophiam progressi fuerimus. Si Platonis exemplum sibi
 proposuisset Aristoteles, βίον ζηναικῆν, de quo est propè finem istius
 capituli, non divulgasset ab ἀπολαυστικῶ seu ἡδονικῶ. Non nisi in eo
 consensus est, quòd uterq; quot animæ partes, tot genera vitæ consti-
 tuit. Unde lucem & Syresio inferemus, qui f. m. 21. in Dione quatuor
 vitarum genera numerat: 1. avarum, (hoc illud est, quod Aristoteles τῆ
 ζηναικῆ βίῃ nomine à cæteris tribus secernens nullo planè loco ha-
 buerat) 2. volupciarium, 3. ambitiosum, 4. virtuosum. Nimirum
 ex quatuor animæ partibus, è quibus Proclum p. 490. eis τὴν πολ-
 θαίμων virtutes Cardinales conflare ostendemus s. o tempore. Partes
 eas sunt, τὸ φιλήδονον, τὸ φιλοζήματον, τὸ φιλότιμον, seu θυμοειδές,
 τὸ λογικόν. q) d. l. IX. de Rep. f. 734.

§. 37. Cæterùm an circà partes animæ Platoni cum
 Pythagora sic conveniat, ut volunt quidam r, dubitare fa-
 cilius est, quàm definire s. Sed nec investigare multum
 profuerit ad hujus capituli historiam. Veniendum ad ea
 potiùs, quorum gratià de partibus animæ sunt hæc à nobis
 præmissa.

r) Cic. IV. Tusc. p. 211. Plut. περὶ ἡθ. ἀρετ. p. 4. ed. Camerar. Theodo-
 ret. ubi suprà §. 22. lit. n. Steph. Theop. IV. Acad. contempl. 13. p.
 159. qui Hippocratem quosq; hic vult Platoni prævisse. His adde,
 si lubet, Andream Matthæum Aquinensium, qui lib. I. Disp. in Plut.
 de virt. mor. c. ult. p. 76. ait, Pythagoram diapason rationi aptasse,
 diapen-

diapente irascentiæ, diatessaron cupiditati. s) Deficiunt enim consensum illum monstrandi documenta satis idonea. Imò, si Laertium aliquid hinc valere patimur, proclivius est dissensum ostendere. Testatur ille, Pythagoram, cum animam ipse quoque irifariam divisisset, atque ex tribus partibus θυμὸν posuisset in corde: in cerebro tamen locavisse non modo Φρένας, sed & νῆν: sic enim cæteras duas partes vocasse, illam homini propriam, hanc perinde ut θυμὸν cum aliis animantibus communem, p. 417. in Pythag. Movit hic locus Camerarium, ut crederet, Platonem Pythagorica quasi clabarando disertius exponere voluisse p. 136. ad Plut. περὶ ἡθ. ἀγ.

§. 38. Enimverò, ubi ex his initiis virtutes nostræ quatuor definiendæ sunt, si Platonicos, Apulejum, Alcinoum, Proclum: interrogas, dicent à Platone singulis animæ partibus singulas esse virtutes elocatas, Rationi Prudentiam, Iræ Fortitudinem, Cupiditati Temperantiam, universis, seu adeò toti animæ præfectam Justitiam.

t) Apulej. lib. II de hab. doct. Plat. p. 15. ed. Elmenb. Alcin. de doct. Plat. c. 28. ed. Hei. s. (al. 21.) p. 518. Proclus εἰς τὴν πολιτ. p. 478. quem tamen cæteris verecundiores debimus §. 40. 1. 1. 2. Horum tibi as ir. flant & recentiores quidam, ut Ramus p. 7. de mor. vet. Gall. Muret. ad III. Nicom. 10. p. 241. (qui tamen ex Eustratio potius eundem locum interpretante prompsisse videtur,) Salmas. ad Epiot. p. 161.

§. 39. De cæteris assentior. De Temperantia nego bonâ fide retulisse nobis placitum sui magistri. Qui cupiditati nullam dedit virtutem propriam: vix dubium, quin eam ob causam, quia planè ad instar equi refractarii rationis esset impatiens: subjecit eam tantùm virtutibus communibus, h. e. Temperantiæ atque Justitiæ. Quo pacto non divisit illam quadrigam, uti nobis persuasum cupiunt sui, in tres speciales, & generalem unam, sed æqualibus jugis in speciales duas totidemque generales.

u) Timæum vide f. 1074. A. & Phædrum f. 1226. D. Eadem mens Aristoteli

seli de membro anime Φυλικῶ seu vegetativo I. Nic. 13. p. 60. Hi tres duorum Philosophorum loci & Carpentario injecerunt scrupulum Comm. ad c. 21. Alcib. p. 123. Quem ut eximeret sibi, distinxit primò functionem ab impetu seu motu atq; appetitu nature: deinde (ut mentem ejus ex p. seq. exponam,) motum elicitem à naturali, qualis est furiosa titillatio. Functionem & motum naturalem concessit ratione regi non posse: sed hinc satis esse, quòd regi possit motus elicitus. Distinctio non mala: sed quàm satisfieri sibi quàm patiatur Aristoteles, tam non patiatur Plato. Is enim diceret frustra hinc distinguere inter appetitum seu motum elicitem & naturalem: sibi enim sermonem esse de appetitu, qui sit homini cuius stirpibus communis, nec nisi in infimo ventre stabuletur: hunc equè & in stirpibus elicitem esse, cum hæ sint sensu præditæ, & in homine ad rationis imperia surdum, cum venter etiam ad hanc lyram careat auribus. Repete quæ diximus §. 32. 33.

§. 40. E quarto de Republicâ, quem librum tantùm non unicè & spectari hinc oportere, & spectatùm fuisse à scholâ Platonis prædiximus*, tam clarum est, Temperantiam Platoni haut secus ac Justitiam, esse virtutem universalem, ut eam ipse Proclus licet initiò pro speciali pariter ac generali ostentatam, ad extremum tamen non nisi supparem faciat universali Justitiæ z.

x) §. 27. 28. 29. y) p. 478. z) p. 491. his verbis: τὰς λοιπὰς εἰνάι Φησι, τὴν μὲν σωφροσύνην ἔξιν εἰς ὁμολογίαν ἄγασσαν τὰ ἀρχόμενα τοῖς ἀρχαῖσι περὶ αὐτῶν ἄρχειν, τὸ μὲν ἔχατον τοῖς δυοῖ, τὸ δὲ μέσον τῶ πρὸς αὐτῶ ἐνὶ τὴν δὲ δικαιοσύνην, ἔξιν ἐκάστω τῶν μορίων τῶν ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων διορίζουσαν τὸ οἰκεῖον ἔργον.

§. 41. Age, veniamus in rem præsentem. Plato cum Senatorio ac Militari Ordini, tanquam τῶ λογιστικῶ καὶ θυμοειδεῖ τῆς πόλεως, illi quidem Sapientiam, huic Fortitudinem singularibus quasi matrimoniis copulasset: posteaquam ad Temperantiam civitatis perventum est, quærit, in Princi-

Principibusné an subditis inesse eam oporteat? statimque respondet: *in ambobus quodammodo*, & hoc ipso nomine à Sapientiâ juxtim & Fortitudine distinguit^a; mox eam consensu definit ac consonantiâ partium civitatis imperantium & subditarum^b; similiterq; postea de Temperantiâ hominis cujusque philolophatur^c.

a) f. 639. ed. Francos. A. 1602. Verba græca sunt: ὅτι ἔχ' ἄπερ ἡ ἀνδρεία, καὶ ἡ σοφία ἐν μέρει τινὶ ἐκατέρω ἐνδύσα, ἢ μὲρ σοφὴν, ἢ ἢ ἀνδρείαν τὴν πόλιν παρείχετο, ἔχ' ἔτω τὴν πόλιν ποιῆ ἄυτη, ἀλλὰ δι' ὅλης ἀτεχνῶς τέταται. Διὰ πασῶν, (alludit ad harmoniam Diapason, quam videt explicent Proclus p. 478. & Ficinus in argumento f. 630.) παρεχομένη ζυνάδοντας, τὰς τε ἀδενεσάτους ταυτὸν, καὶ τὰς ἰχυρωτάτας, (habet hæc tria vocabula eduiso græca Basil. A. 1566. f. 408. quæ per incuriam hypothetice absunt à græcolatinis, Francosurtenesi nostrâ, & Lugdunen. si A. 1590. cūm utrobique sint in latina versione expressa) καὶ τὰς μέτας. b) ibid. ὡς ἐξήταται ἂν φαίμεν ταύτην τὴν ὁμόνοϊαν, σωφροσύνην εἶναι, χείρονος τε καὶ ἀμείνονος καὶ φύσιν συμφωνίαν ὑπότερον δεῖ ἄρχειν καὶ ἐν πόλει, καὶ ἐν ἐνὶ ἐκάσῳ, Hinc & illa definitio Temperantia in ὄρει Πλάτωνος, (scripto quamvis spurio: συμφωνία ψυχῆς πρὸς τὸ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι. c) f. 646. τί ἢ; σωφρονα δ' τῆ Φλία καὶ τῆ συμφωνία τῆ αὐτῶν τάτων (subaudi è præcedentibus τριῶν καλεσμεν;) ὅταν τότε ἄρχον καὶ τῷ ἀρχομένῳ (ita scribi postulat constructio, pro eo, quod omnes, quas inspexi, editiones habent, τῷ ἀρχομένῳ. Ficinus vertit, quod subest, quasi legisset: τὸ ἀρχόμενον. Rectius alius Translator, cui Montecatini Partitiones accesserunt f. 285. quæ subditæ sunt partes.) ὁμοδοξῶσιν ὡς δεῖν ἄρχειν τὸ λογιστικόν, καὶ μὴ σασιάζειν αὐτῷ. In impressis illis erat σασιάζωσιν, quod & secutus est ille Montecatini interpres. Sed placet hîc versio Ficini: rationem imperare debere, neque ab illâ desciscendum esse. Legit ergò, quod nos aptius putamus, σασιάζειν.

§. 42. Quid ergò, inquires, Temperantia Platoni differt à Justitiâ, quam nemo dubitat illi similiter esse virtutu-

tu-

tūtem generalem, hoc est, sparsam per omnes animæ partes: Fatendum est cum Ficino ^d, duas has virtutes ab eo vix invicem discerni, esse verò utramq; legitimam quandam consonionem tūm in cujuslibet animo trium partium, tūm in civitate trium his partibus consimilium.

d) arg. in IV. de Rep. f. 630.

§. 43. Afferri tamen potest ex Platone discrimen aliquod, saltem rationis, quod sufficere debet recordanti tūm quid alibi e ab eo disputetur, solis vocabulis distare virtutes, non essentiis: tūm quàm nihil hīc à nobis quærat præter nudam historiam. *Discrimen* hoc est. Cum in eo conveniunt ternæ partes, ut melior earum imperet, cæteræ pareant, *Temperantiam* habes; cum in eo, ut quælibet agat, quod suum est, *Justitiam* f. Andreas Matthæus Aquivivus g ita exprimit: *ambas esse totius animæ consonantiam: verum concinnitatem Temperantiæ in affectibus esse sitam, Justitiæ autem in actionibus.*

e) in Protagorâ. Vide suprâ §. 24. f) De Temperantiâ clari sunt textus, quos dedimus §. 41. lit. b. c. De Justitiâ non minus clarè loquitur Plato IV. de Rep. f. 640. τὰ αὐτῆ ὠδύττειν, καὶ μήποτε πολυὺ ὠδύμονεῖν, δικαιοσύνη ἐστὶ. Sic f. 645. τῷ τὸ ἑαυτῆ ἕκαστον ἐν αὐτῆ (πόλει) πράττειν τριῶν ὄντων γυῶν, δικαία ἦν. Et μοx: καὶ ἡμῶν ἕκαστος, ὅταν τὰ αὐτῆ ἐν αὐτῷ πράττη, δικαίος τε ἔσται καὶ τὰ αὐτῆ πράττων. *Miscet hæc discrimina Ficinus l. d. propè fin. Signatiùs ea exprimit præter Proclum, cujus verba posuimus § 40. lit. z. Montecatinus Partitionib. in Platon. f. 388. 392. 393. g) lib. II. Disp. in Plut. de virt. moral. c. 7. p. 128.*

§. 44. Hæc cum ita sint, quæret aliquis, quid causæ Platonicos impulerit, ut Præceptorum mentem non suam affingerent? Intelligetur hoc, ubi ad ipsos opus nostrum processerit. Hīc satis habemus indicasse, quemadmodum

dùm Plato ipse reformaturientibus quasi fenestram aperuerit, cùm fateretur ^h, *isthac sua esse τῆς μὲν ἀκραιβείας ἐλλιπῆ, talia, ut in iis accuratorem quis desideret.*

h) VI. de Rep. f. 684. E.

§. 45. Et verò, si nihil aliud, hoc certè spongiam postulat, quòd Plato, cùm partem animæ concupiscentem, ut rationi planè *dissonam*, omni virtute speciali exuat, toti tamen animæ ex omnium partium *concentu* virtutem generalem donat ⁱ, hoc est, fatetur, membrum aliquòd esse *morbosum*, & audet nihilominùs omnium membrorum contemplatione totum corpus *sanum* ^k pronunciare. Quod quid aliud est, quàm sibi contradicere?

i) §. 39. k) Virtutem ipse Plato *sanitati*, vitium morbo comparat, IV. de Rep. f. 647. *ἄρετὴ ὑγίεια τὲ τις αὖ εἴη, καὶ καλὴ ἰατρικὴ, καὶ ἁγιότης ψυχῆς, κακία ἢ νόσος τε καὶ αἴχμη, καὶ ἀδένεια.*

§. 46. Laboranti Magistro subventuri discipuli morbum ἑπιθυμητικῆ diffimularunt, partiq̄ue huic *Temperantiam* virtutibus generalibus exemptam jusserunt esse pro virtute *speciali*. Inventum satis ingeniosum, & compendio quodam blandiens. Eodem enim emplastro & alios obtexerunt nævos duos, perfeceruntq̄ue *tùm* ne duæ essent virtutes generales ^l, *tùm* ut clariùs liceret à *Justitiâ* distingvere *Temperantiam* ^m.

l) ita Plato fecerat §. 39. minùs philosophicè. Ut enim partes multe totum unum; species multe genus unum: sic virtutes speciales multe generalem unam, non ampliùs, flagitant. m) quibus Plato discrimen dederat valde cæcum §. 42. 43.

§. 47. Verùm quoniam Platonice causæ morbus, hæctenus quidem, ex *prolapsione* ⁿ partium animæ procreatus fuit, (prociderat enim illi *ἐπιθυμία* ex medio ventre in
D inf-

infimum;) neque tamen partem affectam loco suo restituerunt Platonici^o: *herniam* illam palliâsse veriùs quàm sanâsse judicandi sunt.

- n) *causam prolapsionis & inde secutum extrema, & quamdiu manetur in infimo ventre, insanabilis ἀλογισίας morbum deteximus. §. 32.*
o) *Tenet enim his quoq₃ infernas abdominis sedes ἐπιθυμία. Vid. Apulej. lib. I. de hab. doct. Plat. p. 9. ed. Elmenh. Alcibi. c. 23. de doct. Plat. p. 504. ed. Heins.*

§. 48. Nemo melior Æsculapius inventus est huic ægritudini, quàm *Aristoteles*. Hic à Platone proximus, eamque ob causam prior adeundus nobis quàm illi tot seculis ipso juniores Academici, non modò malè cohærentem Platonis structuram sollicitavit à fundamentis: sed viam quoque aperuit nobis cogitandi, quâ ratione vel ab ipso Platonis principio, sed reformato, progressi virtutes possumus quatuor nominare *speciales omnes*, atque sic divisionem hanc refingere in illam faciem, quam in antiquissimâ *Persarum ac Pythagoræ* Philosophiâ deprehendebamus *p*, haud leviter postea corruptam à *Platone q*, nec integritati planè redditam à *Platoniciis r*. Sed argumentum hoc adeò copiosum est, ut novam disputationem deponat.

- p) §. 12. & 22. q.) *dum duas virtutes speciales expungit, easq₂ totidem generalib. permutat §. 39.* r) *dum specialem unam reddunt, alteram relinquunt, §. 38.*

COROLLARIA.

I. Ab autoritate humanâ in historiis licet argumentari negativè, præsupposito scil. superesse scriptores illorum temporum, qui res perfectè traderint

derint. *Vid. Christ. Ad. Rupert. p. 459. Epistolarum Richterianarum.*

2. Non miremini, quòd Dominus se longiùs iturum finxit, quoniam non omnis fictio habet in se malitiam duplicitatis. *Radulf. Ardens Homil. in Fer. II. Pasch. p. m. 376.*

3. Majestas potest realiter dividi in partes, & per consequens, datur Resp. mixta: *licet hoc novissimè neget Thomas Hobbes c. 7. de cive artic. 4.*

4. Longè alia mea est opinio de Lucretiâ, atque ea, quæ in animis omnium inveteravit. Ego enim nullam illi virtutem, nullam continentiaë laudem assigno. *Quidam ap. Jan. Nic. Erythraum lib. IV. Eudem. p. 62. Conf. August. lib. I. de Civ. D. c. 19.*

5. *Idem Augustinus lib. XIX. c. 4. quærit: Utrum Cato ille patientiâ, an potius impatientiâ se permit?* Et pro affirmando posteriore rectè sic pergit: Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset. Ubi est fortitudo? Nempe cesit: nempe succubuit: nempe usque adeò superata est, ut vitam beatam (*loquitur ex mente Stoicorum, quos ibi suo merito exagitat*) derelinqueret, desereret, fugeret.

6. Non minùs absurda est opinio Mich. Majeri *enigm. 295. septiman. philos. p. 214.* negantis hominem esse animal: quàm Platonis, sub animalium censu comprehendentis etiam plantas.

D 2

7. Sed,

7. Sed, si homo dicitur animal, *inquit Majerus*, quia sentit, cur non quoq; diceretur planta, quia vegetat? *Responsio facilis*, quia non, ut plantæ vegetans, sic animali sentiens anima tribuitur cum exclusione graduum superiorum. Idem responsum habeat sibi Cardanus, qui Majero illam objectiunculam præverat *lib. XI. subtilit. f. 350.*

8. *Pergit Majerus*: animal & brutum converti inter se. Credemus hoc illi, ubi prius probaverit.

9. *Sequitur apud eundem*: Forma postrema perfectior (*hominis*) tollit prioris imperfectioris (*animalis*) denominationem & essentiam. *Imò verò inquam*, non tollit, sed perficit, atque auget.

10. *Etiàm hoc hæriolatur Majerus*, consuetudinem, quæ hominẽ animal appellat, forte ab Epicureis initiũ duxisse, qui hominem animal rationale, seu brutũ ratione præditũ definerint: ita sensisse Plinium Epicureũ. *Audire velim*, ex quo Plinii loco, ex quo Historiæ Philosophicæ scriptore, id ostendi queat: Imò ausim affirmare, nullũ philosophorum unquam ita insanivisse, ut si brutum poneret loco generis, differentiæ loco adjiceret ratione præditum.

11. Adhæc certissimis testimoniis demonstrari potest, consuetudinẽ, quæ hominem animal appellat, ipso *Epicuro* fuisse antiquiorem, cum in Scholâ & *Platonis* & *Aristotelis* viguerit.

12. Ab eadem consuetudine adeò non abhorruerunt *Stoici*, ut ipsas quoq; virtutes auderent animalia nominare: (*vid. Senec. Epist. 113.*) non magis tamen hîc sequendi nobis, quàm Plato, cum locum inter animalia dat etiam plantis.

F I N I S.

Coll. diss. A. 121, mixt. 36